

Q. K. 381, 27.

(X 190 4022)

AD PRÆLIMINAREM

enumerationem Causarum,

II n
6744

OB QVAS

REX POSSESSOR

SUECIÆ, REGEM POLO-

NIÆ AC HÆREDITARIUM

Sueciæ Regem bello

adoriri.

Quasi coactus sit;

RESPONSIO.



M. DC. LVI.



22. 1656. 2

mo. * mo.

ILLVSTRISS: & Excellentissimi: Principi Dño STEPHANO
Comiti de Piltza KORYCIENSKI, Regni Poloniae Supre-
mo Cancellario, Regiæq; Civitatis Varsavient: Guber-
natori &c. &c. Dño suo & Benefactori
Coleñdmo.

Nicephorus Nicoymius, optimè feliciterq; agere.

Miraberis fortassis, Illustrissime & Excellentissime Dne, me Na-
tion: Græcum de rebus Polonicis disceptare, in re præsertim à Ve-
stratibus silentio omnino prætergressa, seu potius contempta. Sed ne ani-
mo admiratione occupato ad legendum has, quas Excellentie Tue trans-
mitto chartas accedas & impediaris, causas meæ scriptionis brevibus ac-
cipe. Fui, ut nosti, à teneris annis ad meliores scientias promotus benefi-
cio Magni in Repub. Vestra Principis Viri Illustrissimi Gorayski Castella-
ni Kiouiensis nuper defuncti, eiusq; sumptu tuuenis adhuc Italiam, Gal-
lias, & Germanias nobilis Peregrinus perlustravi. Cum illo postmodum
interfui primo Lubicensi congressui, cum de pace perpetua cum Suecis
ageretur. In Poloniam demum redux, cum, vale dicto Patriis laribus,
Romam illam Augustissimam Nationum omnium Matrem adire, ibiq;
mansionem fieri constituissem, Regia Castra tunc temporis ad Oppidum
Zmarieposita pertransiens, Tua promotione & beneficentia, Illustrissime & Excellen-
tissime Dne pensione annua donatus, literisque Passus & commendatit us à Regia Ma-
jestate munitus, huc me contuli, ubi literario otio meo Polonia munificentia vacans,
cum Eandem celebrare pro merito non valeam, defensam eiusdem à futilibus h:stium
calumniis, [et si ipsa per se apud peritos evanescere potuissent] lubens suscepi. Feci equidem
hic quod in Dcorum Statuis usu venit, quorum capita, cum præ altitudine floribus redi-
miri non possunt, Corona statu tur ad pedes. Et verè ad pedes Excellentie Tue, uti
Primo Poloniae Ministro status, Scriptum hoc meum venerabundus depono, nullo alio
fine, nisi ut grati animi mei tesseram in Benefactricem meam aliquomodo promam, &
erga Excellentiam tuam obligationum mearum memoriam nunquam intermorituram,
saltem verbis, contestari valeam. Optimè Vale Illustrissime & Excellentissime Dne,
meque Clientem Tuum Tuo favore prosequi perge. Dabam Roma Quinto Non: Martii.
Anno Dni 1656.



Entis benè dispositæ, rectiq; Iudicij Decretum est: eum, qui in alium dicere paratus sit, omni culpâ carere oportere; vt Proverbium Vetus hæc etiam Responsio nostra in fronte gerat. Hoc non observarunt Sueci, qui in sua præliminati enumeratione, maximo præsumptionum & interpretationum apparatu, in Reges Remq; pub: Polonam, variarum offensionum culpam rejicere conantur, conscientia sua minimè discussa, an ipsimet à culpa in alios rejecta sint immunes. In hoc tantum non injurijs, quod, cum talia figmenta ædes Veritatis introire minimè deceat, jure merito ea præliminari nomine insignita voluerunt. Sed, ne verbis certare velle videatur, ostendetur brevi: Primo: Quid Reges, & (nomine Reipub.) Proceres Poloniæ, vigore Pactorum Stumdorffianorum præstare debuerint: Secundo; an contraverint vel omissione vel Commissione, idque iis rebus à Suecis in suo Scripto enumeratis: & Tertio; an ipsi Sueci potius non contraverint, & insuper per præruptas Inducias Iura Gentium enormiter non violarint, & omnes terminos justitiæ & æquitatis non sint prætergressi.

Quatuor, Reges Poloniæ essentialiora, durantibus viginti Sex Annorum Inducijs, & totidem Reges Sueciæ, præstare debebant.

Primo. *Omnibus hostilitatibus abstinere.*

Secundo. *In præjudicium & detrimentum alterius nihil moliri tentareve, vel per se vel per alios nec terra, nec mari.*

Tertio. *Controversias exortas, per Commissarios utriusq; Gentis ad Fines Livoniæ sapere, decidereq;.*

A

Quarto

Quarto. *Tractatus interea de pace perpetua instituere, & licet semel iterumq, non successisset, Induecias tamen sacrosancte observare.*

Proceres verò sive Senatores Poloni, ad requisitionem Suecorum peculiariter fidejusserunt pro posse se opponere, ne à Rege suo Pacta violarentur. Et ecce paucis verbis omnia enumerata, quibus Reges Proceresque Poloniae adstringebantur.

Dividunt hinc tempora Sueci, & asserunt alias injurias illis illatas esse tempore SERENISSIMI VLADISLAI Quarti gloriosissimæ memoriæ, alias, tempore SERENISSIMI SUCCESSORIS moderni IOANNIS CASIMIRI, Poloniae & Sueciae Regum.

Porrò, super injuriis tempore VLADISLAI prætenfis, prætextum belli illati Suecos minimè fundare posse vel hinc patet, quod istæ injuriæ, (datæ tantum non concessæ) cum persona etiam interierint.

Sed, ne fidejussio Senatorum pro incompleta habeatur, & hinc deducatur causa belli, easdem injurias omnes ad lapidem Lydium facti & veritatis admovebimus.

Dicunt primo: *Tantum abesse ut credi possit, BOTHIVM cum Militaribus copiis inscio & invito Rege Polonia VLADISLAO Quarto, tot Provincias & Ducatus dicti Regni (Poloniae) ad infestandum armis Livoniam pervadere potuisse.*

Ad hoc respondetur: *Bothium Colonellum fuisse Cæsareum, qui certâ militum manu Gedani & Regiomonti festinanter & insciis Magistratibus collecta, in Livoniam irrupit. An inscio vel conscio VLADISLAO Rege? hoc nemini constat, nec ipsis Suecis; qui ideo non assertivè sed tantum consequentialiter irruptionem Bothii Regi Poloniae adscribunt, dicunt enim: tantum abesse ut credi possit. Magna profecto dubietas.*

dubieta illi rei accidit, quæ credi & non credi potest. De-
sunt ergo in hoc puncto certissima probationis argumenta, &
nobis sufficit, quod Senatores, acceptâ hujus facti notitia, ul-
teriore collectionem militum, ulterioresque in Livonia pro-
gressus stiterunt, fideiussioni quæ suæ plenè satisfecerunt.

Instant hîc Sueci, & pro maximo delicto habent, quod
à Senatoribus Reipub. Polonæ Magni quæ Duc : Lithuania, ni-
hil tamen solatii retulerint.

Ad hoc respondetur; Nescire, quid tandem solatii præten-
dant, dum omnibus moliminibus obviam itum, & motus om-
nes in Livonia sedati, nisi hoc prætere vellent, Senato-
res Regem suum in Jus vocare debuissent, quod Polonis non est
usitatum; nam, licet liberas voces Amplissimus Senatus ha-
beat, nihilominus ad indignitates erga Dominos suos nun-
quam descendit, hoc vno contentus, quod dicendi Libertate
& Modestia contradicendi, quasi quibusdam Contrariis inter
se harmonicè certantibus, omnes Regum suorum conatus ad
effectum ritè perducuntur.

Ad consequentiam verò quam inde eliciunt, & ad sup-
positionem *de Exercitu Lithuano ad manus habito*, nihil responde-
re opus est, cum plusquam certum sit, Lithuanos tunc tempo-
ris Exercitum non habuisse, non poterat enim esse in spatiis
imaginariis, nec colligini sine Comitiorum consensu. Exerci-
tum porro paratum non habere & aliquem lædere velle, pars
infantiæ esset: Ergo maxime à Veritate alienum est, *scientibus &*
impellentibus Polonis hoc accidisse. Et ecce quomodo statim in
principio, præsumptionibus minimè probabilibus laborare in-
cipiunt.

Quod *Crockovius Cæsarianus Exercituum Dux in Pome-*
raniam per Poloniam insperatè irruperit; Verum est: Sed, quod à
Parte Polona averti potuisset, negatur.

A 3

gavit

gavit se Respub: omnem adfistentiam contra Suecos cuiuslibet
denegare; sed non invenitur in Pactis, quod teneatur cum
Suecorum inimicis bellum gerere; cum adhuc finem opus
fuiſſet alere Exercitum; ad quod, memoratorum Pactorum
vigore, non adstringebatur. Exiſta ratione non potuit impe-
diri nec creditus. Imo, iſte ſicuti tranſitus tam fuit inſperatus,
quod multi ex Proceribus & inſigniori Nobilitate Majoris
Poloniae, ſeſe discrimini ſubducendo, neſcij quænam copia
eſſent, & quid ſibi vellent, Poſnaniae ſe receperunt. Et cum
Crockovius tranſitus prius per Civitatem, poſtmodum penes
eandem vrgere, nec ad reſiſtendum pares eſſent (numeraban-
turenim ſub Crockovij ſignis ſeptem militum millia.) tran-
ſitum penes Civitatem conceſſerunt, receptis ante omnia pro
oſſidibus octo ſui Exercitus Ducibus, (Vulgo Colonellis.)

Ad roborandum deinde iſtud prætenſi hoſtilis animi in-
dicium, gratis Sueci hæc adjungunt: *haud ſatis fuiſſe Polonis, Cro-
ckovio tranſitum indulſiſſe, verum etiam ex Pucenſi Fortalitio, aliisq;
in Boruſſia locis, auxilia & tormenta eidem ſubmiſiſſe.* Quod omne,
quantum, à veritate alienum ſit, vel hinc liquet, quod oſſidi-
bus prædictis opus non fuiſſet, ſi Poloni ex Pucenſi Fortalitio
dediſſent tormenta & auxilia, vel talium conatum ſive con-
ſentientes ſive conſcii fuiſſent. Ad hæc, nulla tormenta habuit
Crockovius quando per Poloniam tranſiit, præter duo parva
Campeſtria, vti etiã verifiſimile eſt, cum celerem ſuã excuſſionẽ
tormentorum bellicorum pondere remorari minimẽ voluiſſe.

Verum enim verò, quando quidem de improvifo & irre-
mediabili Crockovij tranſitu mentio incidit, interrogare li-
cet Suecos, quando illis tranſitus per Poloniam negatus fuit?
Forſan tunc temporis, quando illorum Gnalis Bannerius Cæ-
ſarianis copiis circumſeptus, vxorem ſuam cum omnibus im-
pedimentis & curribus multa gaza onuſtis, adhibita mille du-
centorum Equitum cuſtodia, per Poloniam tranſmiſit in Po-
meraniam

meraniam? Forſan, quando eadem Bannerij Vxor omni hu-
manitate & ſecuritate Poſnania recepta fuit abſq; obſidibus?
Quare Cæſariani non habiterunt hunc tranſitum pro Indicio
hoſtilis Polonorum animi; imo illam ſpoliorum totius Ger-
maniae onuſtam, perſecuti ſunt uſq; ad fines Poloniae tantum,
& eoſdem Pertranſire nō auſi; Vbi è contra, Sueci Croekouiū
Perſequentes, Polonicas ditiones Sueciae à licentia ingreſſi,
eundē uſq; ad Fluuiū Notes, & fortalitiū Vſcie inſecuti ſunt.

Sed prætermiſſa iſta, ne gratitudo in Suecis requiri vi-
deatur, *ad enormes machinationes circa Inſulam Oeſeliam* tranſire
liceat. Quia uero rem hanc Suecitatē innoluunt nube obſcu-
ritatis, vt non facile ſit conycere, quid ſibi voluerint, & de
quo conquerantur, opere pretium erit Paucis rem vt ſe habet,
& vt geſta fuit exponere, vt toti Orbi inanitas huius expoſtu-
lationis patere poſſit.

Pertinet medietaſ huius Inſulae ad Epiſcopatum Vendē-
ſem in Liuonia? quæ medieta� tempore Cruciferorum à Io-
anne Meninghaufen Vendēſe Epiſcopo, Regi Daniae, ſaluo
Iure retractus, oppignorata fuit, & hoc Iure in Danorum ma-
nibus ad hæc uſq; noſtra tempora permansiſit. Bello deniq; nō
ita pridem inter Suecos & Danos exortō, & ſubſequenter ſe-
dato, cum Rex Daniae Chriſtianus Quartus vigore pactorum
Bromſebroenſium, de integra illa Inſula Suecis cederet, Rex
Poloniae VLADISLAVS, Camerarium ſuum *Bergkium* mittit
ad præcuſtodendum Ius ſuum, quod Ei ſuper illius Inſulae
medietaſ uti Liuoniae Duci cōpetebat, iſta adiecta clauſula:
Saluis Induciis. Vnde ergo tantus fragor oritur & tanta læſio?
forſan non licet tempore Induciarum Ius ſuum præcuſtodire
quando ſilentium præiudicium inuoluit? Vel autumāt Sueci,
quod per illas Inducias Reges Poloniae Ius amiſerint in Livo-
nia? & quod illis non liceat poſt illarum expirationem ſi
aliter interea non fuerit Iure tranſactum, eandem provinciam

Armis

Armis recuperare, sicuti armis occupata fuit? Verè, si illorum Gubernator nihil majus pro Patria præstitit præter hoc, quod Bergkio sine ulla Induciarum læsione agenti, (tantum abest, quod inermis tam ipse quam Rex ejus Insulanos ad defectio- nem sollicitaverit) quod Bergkio, inquam, Actum Juris neces- sarium impedire conatus sit, grande præmium refert, quod tot cumulatur laudibus, & vix observatam Patriam Trium- phali Coronâ non redimitur.

Quod verò subsequenter *Tentationem fidei Subditorum Regni Sueciae in Livonia* expobratam attinet; patet ex rationibus directi in Livoniâ dominij supra præactis, licuisse semper Regi VLADISLAO, licuisse Successori moderno, & quousq; de Livoniâ aliter non transigatur, licitum futurum fore omni- bus Successoribus, illius Provinciae Populos, quando de into- lerabilibus conqueruntur gravaminibus, ad eorundem tole- rantiam confirmare; quod à Suecis vocatur *Tentatio fidei Sub- ditorum & Pactorum Violatio*. Iudicet Orbis, an Paterno directi Domini officio in Subditos, injuriosis Armis occupatos, tale nomen conveniat, & an res sit vetita necne?

Ad extremum, Nihil evidentius probare potest scripti sivè mavis enumerationis Sueticae levitatem, quam quod se- quenti articulo, cum Suecus conquestus esset, certas quasdam molitiones cum Christiano Quarto Daniæ Rege, cumq; Arn- heymio & Baudisio in perniciem Sueciae initas fuisse, statim postea hæc verba subjungit: *que singula recensere longum foret, & à proposito nobis compendio alienum*. Quasi nimirum si quid in eâ re veri haberetur, id brevitas studio lubens omitteret. Ecce quomodo pergunt Vniverso illudere Orbi, & scripto publico Populorum credulitati imponere.

Sed esto, quod Rex Daniæ, Arnheimius & Baudisius nescitur quid agere debuerint. Sufficit, quod ex hoc nullum Suecis evenirit damnum. Et hinc inferri potest, quod etiam si

verum

verum fuisset, (quod nescitur nec conceditur) Senatus, impediendo ne conatus prætensi ad effectum deducerentur, suas partes egregie obivit, & suæ obligationi per totum hoc tempus plenissimè satisfecit.

Tempora jam SERENISSIMI VLADISLAI IV. emensis sumus & vllam injuriam Suecis, vel violentiam Induciis, nec à Rege nec à Repub. illatam fuisse invenimus.

Ascedit ergo Regium Poloniæ Thronum Serenissimus & Potentissimus Princeps ac Dominus, Dom. JOANNES CASIMIRVS, Induciis cum Possestrice Regina & Regno Sueciæ ex parte Polonorum integris. Videre porrò opere pretium est, an illas (vti Sueci præsumunt) tempore sui Regiminis sive ille, sive Resp. violaverit, nec ne?

Occurrit primo grave illud crimen, *quod in commercio Literarum, cum præfata Regina latina lingua vti noluerit.* Proh Dii Immortales! Quando desinetis istis nugis illudere Orbi? Hæcine est causa bellorum? apud vos idiomata & omissio titulorum sunt præjudicia & læsiones tales, vt non nisi ruptione Fæderum, Regnorum devastatione, ferro, igne, cædibus, & rapinis expiari debeant? Hinc clarum habet Polonia & Lithuania indicium, Moschum, vobis suggerentibus & persuadentibus, ex simili prætextu bellum illis intulisse. Equidem si daretur, Regem Poloniæ ad Idioma aliquod vel ad dandum certos & specificatos titulos ex pacto aliquo obstrictum esse, quod non datur, sufficeret in tali casu literas non recepisse.

Deinde, quod sequitur *de defectione subditorum in Livonia, etiam ad sudorem usque sollicitata, & de consiliis Rigæ capienda, tum quod Gentem Cozacorum sæpius inlitaverit vt in Livoniam irrumpere fictionem, levitatem, & vanitatem scripti Suetici magis atque magis ostendit.* Nam, quis sani iudicij credet unquam, Regem
B Poloniæ

Poloniæ, qui à primordiis Rēgni sui usq; ad præsens tempus
Ditiones sibi subiectas multo sudore bello tueri à multorum
hostium inundatione coactus est, aliena oppugnare cogitasse,
Quæ verisimilitudo, Eum Sueticas Inducias rumpere voluisse?
nullo alio fructu, nisi vt novum bellum contra se excitaret,
& aliis Hostibus etiam Suecos adjungeret? Quæ possibilitas,
vt Cozacos, qui tanto Terrarum spatio sunt à Livonia diffiti,
& hoc ipso tempore bellum ipsis erat cum Polonia, à qua se
separaverant, ad aggrediendam armis Livoniam non dicam
converteret, sed super hoc consilia cum illis communicaret?
O veritatis amantes & Pactorum observantes! vobis dedit
DEVS in præmium vestræ probitatis, quod soli perspicaciam
habeatis ingenij & iudicij, ideo vel simplici verbo imponere
aliis ad libitum posse, vobis metipsis facile persuadetis.

Verum, jam ad tractatus pacis perpetuæ Lubecæ institu-
tos devenimus, circa quos Sueci suo scripto omnium prote-
lationum fucatæq; tractationis culpam in Polonos rejicere
conantur.

Appellare hîc liceret Mediatorum Iudicium, qui Viri
Magni & omni exceptione majores controversiam hanc op-
timè deciderè nossent. Ipsos siquidem non latuit, Serenissimū
Regem Poloniæ illud in hoc passu præstitisse, ad quod de ri-
gore nunquam renebatur. Nam, cum nulla alia bellorum
omnium inter vtrumq; Regem causa extiterit, quam quod
Poloniæ Rex Sueciæ Regno spoliatus, ejus tamen nomen &
titulum non omitteret, quis non videt, quod ante conclusio-
nem totalem pacis perpetuæ, hoc titulo & insigniis cedere mi-
nimè adstringi poterat? Nec dicatur, quod vigore Pactorum
tenebatur, quia per totum Instrumentum Induciarum nihil
tale positivè invenitur. Tantum in principio Instrumenti,
vbi per modum narrationis vtrorumq; Regis & Reginae no-
mina apponere necesse erat, etcæterationibus tituli ab vtrin-
que

que sunt suppressi. Quo medio vsi sunt postmodum etiam in commercio literarum, non ex pacto sed explacito, ad tollendas controversias. Apparet ergo, quod Rex optimus, in suppressionem tantisper titularum & Insigniorum suorum in ipsis præliminaribus, (absq; tamen præiudicio in quantum principale negotium optato effectu careret, de quo extat protestatio Legatorum) consentiendo, protelationibus non studebat, sed, quantum in illo erat pacem cupiebat vt quieti & tranquillitati vtrorumquè populorum consuleret, quorum vni electivo Iure, alteri naturali, erant sui : nec affectum erga istos in omnem eventum cum titulo deponere intendebat.

Quod Legatos attinet, certum est, eos etiam Polono candore & sinceritate semper egisse: nec per illos stetit, quin pax perpetua in primo Lubecensi congressu totaliter concluderetur. Verum, Legati Suetici, arcano quodam fine, difficultates difficultatibus neſcendo, ad libitum præliminaria protrahere cupiebant; quod clarè patet ex objectionibus ad titulum & insignia Regni Sueciæ simul & vna Polonicis Legatis non propositis, sed data opera meditatoq; consilio de titulo & insigniis diversis egere temporibus. Intendebant nimirum vel tractatus protelationibus producere, vel in ipsis præliminaribus Ius suum injuriosum ad Regnum lucrari. Legati Poloni è contra, innixi rationi & æquitati hoc habebant in mente, non nisi cum ventum fuisset ad negotium principale, de Iuribus & modo satisfactionis disceptare. Extat Rescriptum dilatorium Commissionis ab ipsis Legatis Sueticis subscriptum & in manibus Christianissimi Regis Legati depositum, vbi nec minimam dilationis culpam in Polonos retorquent; imo in illis sinceram faciendæ pacis voluntatem deprehendisse fassus est semper Gallicus Legatus. Quod Rescriptum, ad meliorem omnium informationem, de verbo ad verbum hic inserere placuit.

B 2

TENOR

TENOR RESCRIPTI.

Cum juxta induciarum Pacta Stumdorffiana anni Mil-
 lesimi Sexcentissimi Trigesimi Quinti, hortantibus etiam
 communibus amicis Principibus, ac Rebuspublicis, Celsissi-
 moque Duce Curlandiæ rem promovente in consilio pacis per-
 petua inter Reges Regnaque Sueciæ & Poloniæ stabiliendæ,
 eousq; ventum fuerit, ut præfixo tempore à Christianissimo
 REGE Primario Mediatore cum ipsis Regibus, tum & cæ-
 teris mediatoribus, Commissarij utrinque delecti sub finem
 proximè præteriti Veris, cum Christianissimi REGIS Con-
 siliario secretiore, & ad hoc Tractatus pacis Legato Plenipo-
 tentiario Illustrissimo Domino Petro Chanut in loco accepta-
 to, convenerint, factum sit, ut in ipso dehinc aditu conventus,
 difficultates quædam suborta moras objicerent, unde susce-
 ptum apparato multo negotium, eò prolabi jam instante hyeme
 videbatur, ut re prorsus infecta & penè non tentata discessio
 fieret. Indignum verò foret, si præter expectationem tanta
 molitio ad utriusq; Gentis concordiam, & emolumentum in-
 stituta, incassum caderet, suadente præsertim Christianissimi
 REGIS Legato, & fidem interponente, quod, cum frequenti-
 bus colloquiis sinceram in utriusq; partis Commissariis facien-
 dæ pacis & ineundæ amicitia voluntatem deprehendisset, spes
 certa melioris eventus affulgeret, ejusq; promovendi gratia
 media quædã ab eodem Legato proponerentur: Nos, sub liberâ
 ratih-



ra tihabitione Serenissima Regina Domina Nostra Clemen-
tissima, consensimus & convenimus, ut congressus hic noster
secundum supradicta Pacta Induciarum reassumatur ad
vicesimam diem mensis Aprilis stilo veteri Anni Millesimi
Sexcentissimi Quinquagesimi Secundi proximè instantis,
quâ præfigente Christianissimo REGE, eadem tractatio
pacis inchoabitur, & includetur spatio duorum mensium
Maij scilicet & Iunij: quo emenso, liberum erit utriq; parti
à conventu abscedere. **ILLÆSIS INDUCIIS**,
quamvis negotium nondum sit ad finem perductum, nisi ex
mutuo consensu terminus iste fuerit prorogatus. Et quo pla-
nior expeditiorq; fiat tractandi ratio, ubi ceptum fuerit
futurum istud colloquium, per continuatam Christianissimi
REGIS mediationem, eodem quo suscepta est studio à sua
Maestate, eademq; diligentia & integritate, qua per su-
pramemoratum Legatum est administrata, procurabitur me-
diotempore, ut quæ hætenus causa huius conventus pro-
gressui obsuere, tollantur, ipsiusq; disceptationis materia, quo
feri dabitur modo, tractabilior evadat. Hanc verò con-
ventionem & sponsonem ita demum valere volumus, & vim
habituam intelligimus, si quemadmodum eam in supradicti
Legati Domini Chanut manibus concedimus, sic etiam par
omnino conventio & sponso huic nostræ ex æquo respondens
à parte Poloniae, apud D. Legatum deponatur, ab Illustris-
simis, Illustribus, Magnificis, & Generosis D. Dominis Le-
gatis Polonicis. In horum fidem præsentis literas manibus no-
stris subscripsimus & sigillis nostris firmavimus.

C

Lubeca

Lubeca, Octobris secunda die Anni Millesimi sexcentissimi
Quinquagesimi Primi.

Ioannes Adler Salvius.

Schering Rosenhans.

L. S.

L. S.

Hans Wachtmester.

Laurentius Canterstein.

L. S.

L. S.

Exemplar Originale Conventionis supratranscriptæ depositum est
in manibus meis ab Illustrissimis D. D. Legatis Sueticis in eo nominatis,
hic Lubeca die duodecima Mensis Octobris Anni Millesimi Sexcente-
simi Quinquagesimi Primi.

Chanut.

L. S.

De sufficientia Plenipotentiæ non possunt sine læsione
veritatis conqueri Sueci. nam fuit & in primo congressu suffi-
cientissima: tantum de Regio titulo controversia agitabatur;
quem non temerè, sed ex rationibus superius allatis, Poloni
jure defendebant, & Sueci allegabant factum tempore *VLA-
DISLAI*, qui Plenipotentiam dederat omissio Sueciæ titulo.
Sed in secundo Lubecensi congressu, cum Legati Poloni Ple-
nipotentiam attulissent, ad normam *V L A D I S L A V I A N Æ*
conceptam, hoc est sola omissione tituli Regni Sueciæ, ad-
veritæ partis Legati controversiam excitarunt circa sigillum,
nimirum

nimirum quod in eo Regni Sueciæ insignia continerentur.

Sistamus hîc nos quæso parumper & rem prout gesta fuit animo revoluamus. Moniti Legati Polonici in primo Lubecensi congressu, vt Plenipotentiam ad instar Vladislavianæ adferrent. Satis fecerunt. De sigillo nulla tunc facta mentio, & in Vladislavianâ Plenipotentia nihil amplius erat commissum præter titulum, alia insignia omnia in sigillo continebantur. Quis ergo sanæ mentis poterit vnquam dilationem hanc Polonis imputare? Imo, quis non videt apertè subterfugium Suecorum, eo fine, ne pax concluderetur antequam eorum secretæ in perniciem Poloniæ molitiones opportuniori tempore erumpere possent?

Pergunt nihilominus ulterius & queruntur, quod quãvis Rex Polonia signifiasset velle se Legatos suos Reip. pub. Poloniae Stockolmum mittere, ut coram Rege (Possessore moderno Sueciæ) tractatus pacis auspiciarentur absoluerenturq;. Nihilominus missus tantum Internuncius, qui nullas ad tractandum statuendumq; de pace perpetua plenipotentias adduxit.

Quali majore documento, opus est ad probandum, conclusionem pacis impense desiderari, præter hoc, quod quis se offerat ad locum Residentiæ alterius Legatos mittere? Præstitit hoc de facto Rex Poloniae, qui non tantum Internuncium illum, sed paulò post Comitem de Leszno Palatinum Lanciciensem Principem Virum Genere, experienciâ & dignitate in Rep. eminentem Legatum Suum extraordinarium, cum alio Legato Viro illustre, ejus nomen nos huc vsque latet, Stockolmum misit plenariâ instructos potestate, quos nihilominus oblivione præterierunt.

Præterissent forsan etiam Internuncium, nisi subiungere voluissent querimoniam de annis Regnorum ad calcem literarum fidei adnotatis, quod pro non parua injuriâ repu-

tant. Sed discant, Poloniam nomine plurali quandolibet
uti posse sicuti Gallia & Hispania, & de facto aliquando uti-
tur: & assuescant non indignari, quando Rex solius Poloniæ
annos suorum Regnorum ad calcem literarum in plurali an-
notare jubet, nam unum Poloniæ Regnum ex pluribus Regnis,
imò vastis Imperijs coaluit. Quis enim nescit, dividi Polo-
niam in Majorom & Minorem? Quis, Ducatum, imò
Imperium Kioviense, olim ipsis Orientis Imperatoribus for-
midabile, extitisse dubitat? quod, ni Schisma obstitisset, longo
temporis cursu. titulo & re ipsa, dignitate potentissimi Regni
gavifum fuisset. Quis ignorat, fuisse aliquando Haliciæ
Regnum, quod nunc per incorporationem Russiæ, Poloniæ
Minori adjunctum est? Ex quibus rationibus exemplo aliorum
Regum, Regi Poloniæ etiam jurè tribui debet titulus Regis Po-
loniarum, vel Regnorum Poloniæ quod vnum est.

Sed audiamus, amabo, quid non licere Regi Poloniæ præ-
tendunt Sueci: *Sed quod interpret precipua (inquiunt) merito censeri
debet ne quidquam intactum relinquerent Rex Polonia, quo iugulum
Status Suetici posset, peregrinas etiam classes in mare Balticum non ita
pridem inducere est conatus; fæderaq; cum variis Principibus Populisq;
qui dictum mare accolunt ac frequentant inire, S. R. Maiestate sola ex-
clusa; ut luce Meridiana clarius sit, dictas classes adversus S. R. Mttē:
Regnumq; Suecia fuisse destinatos.*

Novum vere & insolens genus querimoniarum. Sueciæ
Regi eum penitus nulla superesset ratio de Rege Poloniæ
expostulandi quasi molitus aliquid fuisset adversus Sueciæ
Regnum, gravissimè conqueritur, non quod externas classes
in mare Balticum induxerit, sed quod eas inducere conatus
sit. Queritur, non quod cum exceptione Regni Sueciæ fæ-
dus sancitum fuerit, sed quod sancire id voluerit. Queritur,
non quod violato fædere classem adversus Sueciam Poloniæ
Rex instruxerit, sed quod nimirum hoc in animo habuisse
videatur.

videatur. Cum quō tandem justam causam bellandi non habebunt Sueci, si tales præsumptiones ad arma justificanda sufficient.

Sed esto: Remotarum gentium classes ad mare Balticum invitaverit: Fædera cum diversis Principibus & Populis stauerit, quid tum? dummodo non adversus Sueciam, fædus non violatur, non infringuntur induciæ. An ergo regnante Rege Sueciæ nemo regnabit? nec licebit Regibus instruere classem, aut fædus sancire quando ita videbitur, cum hoc semper authoritati summæ coniunctum sit? Quare Sueciæ Reges quando illis libuit hoc iure vsi sunt & nunc utuntur? Vnde istud Privilegium quod mare Balticum soli Regno Sueciæ adstrictum sit Polonis & Danis exclusis? Nonne stupiditas summa foret, Reipub. Polonæ liberum vsu Maris vel negare vel controvertere, quæ integro littori à Cassubia Pomeraniæ contermina incipiens, vsq; ad fines Moschoviæ dominatur? Satis, me hercle, impedimenti habet navigatio ab instabilitate & ferocia ventorum. Quid putamus, quale impedimentum habitura foret, si etiam nutum Suecorum ad pandenda in Mari Baltico vela expectare oporteret?

Verum enim vero, ad quid perditio ista temporis? probando nimirum, Inducias tempore Serenissimi *I O A N N I S CASIMIRI* moderni Poloniarum & Sueciæ Regis ex parte eius inuiolatas semper mansisse. Ipsimet Tractatus pacis, Lubecæ & non in finibus Liuoniæ instituti, abunde testantur, Inducias ipsas nunquam per ipsum violatas, fuisse. Nam, in casu violationis, ex præscripto ipsarum Induciarum, utriusq; Gentis Iudices, petente parte læsa, ad fines Liuoniæ congregari opus fuisset. Patet ergo, nullam fractionem fæderum ex parte Polona intervenisse & tractatus Lubecenses institutos fuisse tantum, ut de perpetua pace stabilienda duran-
gibus Induciis consilium iniretur.

D

Sed,

Sed, & ipsimet Suecix Legati circa discessum ex primo
Lubecensi congressu (vti ex præinserto Rescripto, literis Re-
ginæ Christianæ ad Legatum Gallicum datis postea confirma-
to, videre est) testati sunt, se vnanimi consensu & propter diffi-
cultates quasdam subortas congressum & tractatus pacis in
aliud tempus differre *INDVCIIS* tamen *ILLÆSIS* manentibus.

Hoc idem demum Rex Possessor modernus Suecix in
literis denuciatorijs injuriosæ suæ assumptionis ad Regnum
ILLÆSAM CONTINVTATIONEM INDVCIARVM di-
serte confirmat; Quarum literarum ecce tenor sequitur.

TENOR LITERARVM.

NOS Carolus Gustavus Dei Gratia Suecorum, Gotho-
rum, Vandalorumq; Rex, Magnus Dux Finlandiæ &c.
&c. Serenissimo Principi, Fratri, Consanguineo, Vicino
& Amico Nostro charissimo, Domino IOANNI CA-
SIMIRO Regi Polonia Magno Duci Lithuania &c.
&c. Salutem & omnia prospera.

Serenissime Princeps, Frater, Consanguinee Vicine &
Amice Charissime. Cùm illius motu, qui cuncte mortalium
disponit Regesq; Regnis dat, visum sit Serenissima ac Poten-
tissima Principi ac Domina, D. Christina Dei gratia Sueco-
rum Vandalorumq; Regina, Magnæ Principi Finlandiæ
&c. &c. &c. Matri Nostræ, omni filiali cultu ac veneratio-
ne prosequendæ, plusquam Materna cura amoreq; erga Nos,
atq; certis de causis gubernaculis Imperii hereditarij se abdi-
care, summamq; rerum ad nos, accedente omnium Ordinum
huius Regni consensione, transferre sequentibus confestim
coronationis nostræ solemnibus, alienum ab Officio animoq;
nostro

nostro fore iudicavimus, nisi exordio Regiminis nostri DEUM
Optimum Maximum precaremur, ut hoc Orbi Christiano,
nobis Regnoq; Nostro & Serenitati Vestrae, communibus quæ
Amicis felix ac faustum esse velit, & Serenit. Vram, consi-
derantes scilicet illum propinqui sanguinis nexum, qui nos cum
eâdem jungit, atque antiquam illam inter utraque hæc Regna
necessitudinem per complures jam annos Induciarum Pactis
restauratam continuatamq; de hisce Imperii nostri auspi-
ciis edoceremus, atq; omnia prospera Serenitati Vrae Poloniae-
que Regno ac Populo comprecaremur; denique Officia No-
stra paratissima, & quæcunque ab Amico & tam propinquo
sanguine procedere possunt, fidem optimo affectu deferremus.
Proinde, si qua in re gratam Serenitati Vestrae operam præ-
stare poterimus, est quod Nobis indicet, ita de Nobis disposit-
tura, quemadmodum utrique Nostrum conducere existima-
verit, prout Nos etiam confidimus, Serentem Vram hunc af-
fectum Nostrum pari erga Nos Regnumque Sueciae volunta-
te pensaturam Has literas perferendas, & si opus fuerit expli-
candas uberius tradidimus Ministro Nostro Dantisci Egre-
gio & Spectabili nobis sincere fideli Ioanni Kock, quem ut
Srnitas Vra Nostri causa benevolentiam suam complecti velit,
rogamus, confidimusque. Quibus finientes Deum veneramur
ut Serenitatem Vram tueatur florentem & incolumem, le-
tisque & secundis rebus semper gaudere sinat. Dabatur in
Regiâ Nostrâ Stockolmensi die 3. Iulii Anno D. 1654.

Serenitatis Vestrae,
Bonni Fratris Consanguineus & Amicus,
Carolus Gustavus.

Ex quibus argumentis & documentis, præsertim vero ex propria ipsorummet Suecorum confessione unicuique clare patere potest, Reges & Rempublicam Poloniam sanctitatem Induciarum nec ommissione nec commissione vnquam violant, quod ad probandum assumpseramus.

Examinandum nunc restat Tertium Responsionis nostræ punctum, nempe, an Sueci easdem obseruarint: an studium pacis & amicitiae, quod pleno ore sonitant, actionibus comprobant: & an iuste arma sumpserint ad Poloniam invadendam, nec ne? & quidem exordio ab illa actione sumpto, quæ & si parum vel nihil ad rem præsentem facit, tantoperè nihilominus in scripto Suetico decantatur, & pro irrefragabili sinceræ amicitiae ac propensæ voluntatis argumento allegatur.

Iactant enim, Reginam Christinam post mortem REGIS VLADISLAI, Serenissimos Principes eius Fratres Poloniæ Ordinibus literis suis ita commendasse, vt eius intercessione Serenissimus IOANNES CASIMIRVS Regnum adeptus sit; inde inferentes magnitudinem amoris quo Suecia in Principes Poloniæ ferebatur; studium pacis & confidentiæ stabilientiæ quod in sinu fovebat: & gratitudinem, quæ ab ysdem Principibus illi debetur.

Respondendo: omittere liceat narrationem iniuriosi conatus Ducis Sudermaniæ Caroli, quia quibusdam malis Consiliariis specie politicæ prudentiæ circumuentus & seductus, Anno 1595. Regem Poloniæ & Sueciæ SIGISMUNDUM TERTIUM nepotem suum Regno hæreditario spoliavit, quod (DEO volente) seorsuo scripto examinabitur, & tantum sufficiat innuere Domum Carolinam intuitu istius spoliæ obstrictam fuisse Domui SIGISMUNDIANÆ, non tantum apud Ordines pro Regno Poloniæ intercedere, verum Regnum ipsum Sueciæ restituere. Sed ad alia.

Teneba-

Tenebatur Regina, Principibus Polonis hoc officio suffragari ex gratitudinis nexu, Regia illa nempe animi magnitudine devincta, quam VLADISLAVS, Gustavo Christinae Parente mortuo, exercuit; qui cum turbas tum temporis in Suecia excitare potuisset, enera tamen atq; infirma eius ætate ad privatam utilitatem abuti noluit.

Tenebatur, ex communi consuetudine, nec officium hoc Christinae prætermisisse decebat, quin magis suæ estimationi quam alterius utilitati nocuisset. Turpe enim & indecorum videri poterat hoc Iudicii sui testimonium Serenissimo IOANNI CASIMIRO Consanguineo suo saltem specie tenus non impertiri, quod illi tot Principes non tam arcta cum eo consanguinitate conjuncti, propensa tamen animi voluntate tribuerunt.

Sed esto: non potuit patere Serenissimo IOANNI CASIMIRO via ad Regium Poloniæ Thronum conscendendum, nisi ex Suecorum Principum literis. Scripserunt. Conscendi. Verùm cum ex ista superficialitate de intentione, qua ad hoc factum accesserunt minimè constet, opere pretium erit illam ex subsequitis actionibus indagare, ut quid & quantum ipsis debeatur, inde metiri possit.

Emanarunt haud multo post (certe ex consilio Suetico) sub Christinae nomine literæ, (quarum Originale extat) quibus defectio Civitatis Gedanensis sollicitabatur, & modus executionis proponebatur ordiebaturq;. Sed frustra. Novit namq; prudens & circumspecta illa Civitas semper metiri, quantum honorificæ Quietis & non fucatæ Utilitatis ex Polonici Imperij, & suæ Fidelitatis mixto illi resultet. Ecce. Claudicamus in principio. Concordantne hæc? commendare aliquam ad Regnum & statim primarias ejus Civitates clavesq; Provinciarum ad defectionem sollicitare.

D §

Deinde,

Deinde, Vice Cancellarium Poloniae Iure mediante de-
gradatum, consensuq; omnium Ordinum Perduellem decla-
ratum fovere Stokolmi, pensione etiam adhibitâ, non dubitâ-
runt: nec ab hoc abducere illos potuerunt vel punctum secun-
dum essentialia pactarum Induciarum, cui contraveniebant;
vel respectus Iuris Gentium, quod lædebant exemplo omni-
bus dominantibus pernicioso. Forsan meditabantur illo uti
ad amorem conciliandum inter Regna, & amicitiam sinceram
ineundam inter Reges; & unicuiq; volenti fuisset credibile,
nisi hæc duo sequentia omnem fidem corrupissent. Primum:
miserat Regina Christina, Internuncium suum cum Literis ad
Serenissimum modernum REGEM POLONIÆ, sed principaliter
in mandatis habuit (paruit ex facto) complures literas clanculû
distribuere à præfacto Vice Cancellario ad Optimates quosdâ
virosq; Nobiles datas, quibus eos non obscure ad perfidiam
hortabatur. Et cum ex eis multi ipsas illas literas Regi obtu-
lissent, Rex vero literis suis apud Reginam de hoc conque-
stus esset, Magnanima illa Princeps vi veritatis convicta con-
ticuit, nihilquè ad literas respondere iussit. Secundum: Man-
festum ejusdem Vice Cancellarij Stokolmij typis mandare per-
miserunt, quo Majestatem Regiam Legitimi Domini sui enor-
miter lædebat; insultabat Patriæ; in viros conditione, quali-
tate, gradu Illustres debaccabatur; & Rebellionum omnium
Parentes (Odium & Contemptum Regis & Regiminis intelle-
gimus) in Populis excitare conabatur. Reverà, si hæc amoris
sunt effectus & signa desiderii sinceræ amicitiae ineundæ, lice-
at alia nomina ab omnibus ante actis sæculis in summo pretio
habita, in posterum detestari.

Cosaci quoq; in sua contumacia confirmati & ad fædus
cum Reginâ invitati, satis testantur, Suecos Regem optasse, sed
(moribus antiquis) illum sine Regno videre voluisse. Vere-
bantur enim, ne per pacem & unionem partium Poloniam
Rempb:

Rempb: constituentium, occasio invasionis præmeditata ante armorum præparationem elaboretur, & spe præconcepta dilatanda Imperij frustrarentur.

Moschici demum Legati, tertius jam labitur annus, Regiam Mittem Leopolim adeuntes, hoc inter colloquia cum Senatu fassi sunt, accepisse nempe à Succis, quod ommissio Titulorum in privatorum literis ex privatâ occasione ad magnum Ducem suum datis, crimen sit pacem & quævis fœderarum p̄tere valens; vt non obscure inde colligi possit, Tractatus cum Legatis Ejusdem Magni Moschorum Ducis eodem fere tempore à Succis Stockolmij habitos & (quod publicum Iubilum cum tormentorum explosione indicavit) conclusos, circa aggressionem Lithuanix versatos fuisse, quod & eventus paulò post confirmavit. Vt taceamus cum aliis Principibus relationem ad Poloniam habentibus, & cum varijs ejus Subditis tentata molimina, factas pollicitationes, & data consilia, vt illos cum Polonix præjudicio aliquomodo pervertere possent.

Vno verbo: Apparet Suecos illud hîc consulto fecisse, quod Figulis, quando vasa statim post elaborationem frangunt, casu accidit, quos, si quis tunc causæ ignarus inspiceret, crederet facile, illos non ad vsum aliorum vasa finxisse, sed illa eâ intentione elaborasse, ut aliquid ad destruendum haberent.

At, hæc incidenter Sufficit, superiori narratione Actionum sub regimine Christinæ subsequatarum, breviter nos ostēdisse, non habere Suecos reale fundamentum vnde inferant vel amorē, vel amicitix pacisq̄ studium & multominus vllum obligatorium actum erga Regē & Rempub. Poloniam ex illorum consilijs processisse, imò potius hostilis animi signa vndiquaq; apparere, & (quod majus) ex parte illorum Fœdus & Inducias multoties fractas & enormiter violatas fuisse.

Sed

Sed & ultra processerunt, nam vix Christina, Suetico-
rum consiliorum violentiæ forsitan impatiens & pertæsa,
Regno se abdicaverat, cogitationes Regnum Poloniae tot ho-
stium inundatione obrutum devastandi serio amplexi, illius
Regem repentinis & minimè ante à manifestatis armis, contra
omne fas & æquum adorsi sunt.

Nos hucusq; prætextus omnes justi belli è medio sustuli-
mus, & re, ut durante toto hoc tempore Induciarum gesta est,
accurate enucleata, quomodo Induciæ à Suecis ipsis multifa-
riam violatæ sint, in medium protulimus. Ad duo tantum Sue-
tici Scripti puncta nihil respondimus consulto hic reservata,
vt probata prius Polonorum innocentia & Suecorum culpa,
de eorum etiam animo paci semper adverso, clariorem inde
consequentiam eliceremus.

Dicunt enim primo, in Pactis extare: *quod licet Tractatus
pacis perpetuæ semel iterumq; non successisset, firmas nihilominus & in-
violabiles manere debuisse Inducias; quod & nos fatemur. Postea
subiungunt: attamen cum nihil præsidii in Pactis habuerit Sac. Reg.
Mtas, quippe toties à Rege Polonia violatis, ad arma recurrere neces-
sum eidem fuit (& paulo post) nec sine maximo detrimento Sac.
Reg. Mtis. Regniq; Suecia expectari Pactorum exitus potuisset, tam
frequentibus & exitialibus Regis Polonia machinationibus.*

Secundo: contra sensum esse Pactorum, ut pluries quam bis Com-
missarii utriusq; gentis convenirent, nam verba illa semel iterumq;
non pro pluries repetitis vicibus accipi debere, sed pro binis tantum:
*ne repetitus sæpissimè congressus, mentes exacerbaret, & Partes omnium
gentium ludibrio exponeret, maximarumq; impensarum causa esset.* Hæc
illi, per modum responsionis ad Regis Poloniae obiectiones
Spiritu Prophetico prævisas, scribunt: & excusatione non
petita manifeste semetipsos accusant & convincunt.

Sed, vt evidentius pateat, reducamus in unum illorum
duorum

duorum punctorum sensum. Prætendunt Sueci vigore Pacto-
rum non teneri nisi ad illos duos congressus jam præteritos: &
ne illis obcyeretur, quod questio non sit de re iteratione con-
gressus, sed de integritate Induciarum, subjungunt: debuisse
Inducias rumpere quia securitatem non habebant contra exi-
tiales machinationes Regis Poloniae.

Negare imprimis necesse est, verba illa *semel atq; iterum*
bis tantum significare; ne fateri videamur, Latium à Sueciâ
interpretationes recipere debere. Nam, Latinâ linguâ bis no-
tat dualitatem: iterum verò, numerum quoties libuerit sum-
ptum. Et communiter dicitur, res decies centies, &c. itera-
ta, non dualifata.

Ostensum deinde est superius, Regem Poloniae nec co-
gitatione Inducias violâsse, tantum abest, quod aliquid con-
tra Regem Regnumq; Sueciae molitus sit. Præterea, Rex Pos-
sessor modernus Sueciae, Literis præinfertis in Iulio Anni
præteriti Millesimi Sexcentissimi Quinquagesimi Quarti ad
Regem Poloniae datis, non solum illæsam illam continuatio-
nem Induciarum, quam Nos asserimus, confirmat; sed penè
totus in contestationibus amoris, & omnium prosperitatum
appræcationibus, diffunditur: Propinqui sanguinis nexum
commemorat, & gratam suam operam si inquâ re præstare
poterit, verbis affectu plenis offert. At, post annum inspera-
tè & inter pacis Tractatus, Regnum illi inuadit, occupat, de-
uastat: Loca Deo Sacra polluit: Provincias cæde, cineribus,
& ruinis implet: omnia susq; deq; vertit. Quidnam tam gran-
de committere potuit Rex Poloniae vnus anni spatio, quod
jugulum Regni Sueciae non esset ab eius insidiis securum?
Quod necesse foret, vel ad vim propulsandam, vel ad inco-
lunitatem tuendam, faces aptare dextris & enses? Scrutemur
quid fecerit Rex Poloniae illo anno, & quid illi acciderit, vt
inde colligere possimus illius in Sueciam animum.

E

Sanè


Sanè nihil inueniri potest præter hoc, quod, sacramen-
to pacis perpetuæ securus à Magno Duce Moschouia bello
adorfus fuerit: & quod totà hyème, ab eodem cum Cozaxis
coniuncto, pello distentus, Exercitum suum aliquatenus de-
bilitauerit. Ergo non vllæ iniuriæ, non vllus timor exitij;
non petitum iugulum, sed simpliciter, occasio commode in-
uadendi & occupandi Regnum, Suecos ad frangendum fæ-
dus & violandas Inducias impulit.

Sed esto: non tenebamini, iuxta vestra commenta, nisi
his tantum Lubecam congregi: Rex Poloniae otiosus & altis-
simà pace fruens, occupationem Regni Sueciae, iuxta ve-
stras suppositiones, assiduè meditebatur: vno verbo; non
eratis Induciarum sanctitate securi. Quare ergo non amplexi
estis pacem, quam vobis citra omnes sumptus itinerum & ci-
tra quæuis Gentium ludibria, obtulere domi vestrae Sto-
ckolmi Legati Poloni æstate præterita? quare iisdem, quando
prævidenti prudentia omnibus vestris protelationibus & sub-
terfugiis obviam ibant, respondistis, velle vos sub clypeo
pacem tractare? Profecto, in eum qui Iure agere & satisfacere
paratus est, nefas bellum sumere, tanquam in Inimicum. Iure,
idcirco, obstupere optimi Legati, quando loco tractationis
pacis, bellum illis Stockolmi primum denunciaftis: & ex-
probrantibus illis, vos sine vlla iusta causa, & sine denuncia-
tione belli Regno innoxio arma inferre, famam publicam
& clarigationem supplere respondistis: Famam nempe illam,
Cuius incertitudine neminem petebatis, quia omnes: Cuius
rumoribus atq; auditionibus nunquam permouetur Pruden-
tia, vt de summis rebus sacramento firmatis temerè consilia
ineat. Nihil demum proficere potuerunt etiam si, quid
tandem futurum esset de summa rei controversæ, vt injusta
arma vestra sisterent, in ipso Legationis suæ exordio decla-
rassent. Sed etiam post inuasionem Regni, quare pacem
toties.

toties oblatam semper elusoriis verbis repudiastis? nonne hinc clarè patet vos bellum contra omne fas & æquum omnino voluisse, tempus advenisse rati, quo ea omnia perfici poterant, quæ in consilio vestro de occupandâ Prussia; de subiugandâ Daniâ; de redigendâ navigatione maris Baltici in absoluta vestra potestate; de augenda hoc modo vestra potentia, & de euertendo demum utroq; Romano Imperio, vestra cogitationum circumrotatione, à multis annis moliebamini? Quicquid sit, obiter & sobriè hæc omnia tangimus, ferie namq; ab utrinq; gestorum sincere præmissa, intentionis utriusq; Partis liberam consequentiam Orbi relinquimus. Nobis quippè sufficit certocertius scire, DEVM, fractorum iuramentorum iustum vindicem, veritatem ostensurum esse, & eos, qui mala fide & dolo aliquid gesserint, certissimè tandem confusuram & punituram.

Habetis, *IMPERATOR & REGES*, cæteriq; Europæ *PRINCIPES*, qua fide cum Regno Poloniae actum sit ab illis ipsis Suecis, qui Vestram approbationem non ita pridem sibi conciliare studebant; Vosq; Generosissimæ Regni Poloniae Gentes, inter tot fortunæ vicissitudines, animum ne despondite; imo hæc duo pro certissimis habetote: *Præpotentia Imperia, agitatione rerum, ad priscam fortitudinem & virtutem excitari: & quod nulla quamvis minima Natio cito ab adversariis deleri possit, nisi propriis simultatibus, se ipsam consumpserit.*

F I N I S.



947/107

toties oblatam semper clausis verbis repudiavit
hinc clarè pateat bellum contra omnes fas & aequum
no voluisse. Quod si illi tunc, quo caeteri principes
erant, que in consilio vero de accipiendis p[re]sidiis
ingandis Danis, de redigendis navigatione maris Baltici
absoluta v[er]o potestatis, de augendis hoc modo v[er]is po-
tatis, & de euerendo demum v[er]o Romano Imperio, va-
stis cogitationum circumstantione, a multis annis incho-
tatis, & quicquid sit obiter & s[er]uatis hæc omnia tangimus
sunt omnia aburina; gestorum facere p[re]missa, intentionis
v[er]um. Paris libram cogitationis, O[mn]i[um] r[ati]o[n]um
Nobis quippe iustitiam certissimè, DEVM, r[ati]o[n]em
iuramentorum iustum v[er]o, cum veritatem offensionis
& eos, quibus hæc & solo aliud gestum certissime
deum continentem & p[ro]stantum.

H. Paris, IMPERATOR & RECTOR, carissimi, Eius
per RAVENNA, que sine qua non est Polonia, aburina
aburina iustis, qui v[er]o estiam p[ro]p[ri]etatem non v[er]o
deum sibi conchare libebant, v[er]o p[ro]p[ri]etatem
Lobore Gentes in r[ati]o[n]em viciissimè, annu-
deponducing, sed duo pro certissimè, certissimè
certissimè, certissimè, certissimè, certissimè
certissimè, certissimè, certissimè, certissimè
certissimè, certissimè, certissimè, certissimè

m

107



Q.K.381,27

AD P
cn

REX
SUECI
NIAE

R



222)

M



OR
O.



KODAK Color Control Patches

Kodak

LICENSED PRODUCT

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches
Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8
1 2 3 4 5 6 7 8
19 18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6

© The Tiffen Company, 2000

